



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Resolvitur Controversia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

Ratio est, quia infallibilitas Scripturæ est in eadem linea cum Verbo Dei, quæ est altior, & proximior primæ veritati, ideoque non solum sententiæ, sed etiam historiæ, verba & facta sunt formaliter infallibilia. At infallibilitas Ecclesiæ non est in eadem linea Verbi Dei, sed inferiori approximationis Verbi Dei. Unde, sicut approximo formæ non gaudet ijs omnibus perfectionibus, quibus forma, ita Ecclesia non gaudet ijs omnibus perfectionibus, quibus sacra Scriptura; nec se extendit ad quæstiones purè de facto, neque ad illa, quæ in Concilijs generalibus, non quidem definiendo, sed incidenter dicuntur, cum hæc maneant fallibilia, atque ita non est in linea Verbi Dei.

446. Quod quidem exemplò demonstratur. Si Rex efficaciter statuat, ne primus Minister unquam litteras Regias, aut Regis nomine scriberet, vel loqueretur; at illi ex potestate à Deo accepta infunderet scientiam, ut explicaret verum sensum litterarum Regis, licet mysterijs, & ænigmatis plenarum, aut ut Regis loquelam declararet, nec ad aliud illa scientia infusa se extenderet, & verba illius ministri non essent verba Regis, neque haberent infallibilitatem, nisi quatenus essent verba ministri explicantis verba Regis. Unde, ut infallibiliter loqueretur, opus esset, ut recurreret ad verba Regis, ex quibus infallibilem sensum erueret; sic se habet infallibilitas Ecclesiæ respectu Verbi Dei: unde definitiones Ecclesiæ non sunt Verba Dei, ideoque Ecclesia ad infallibilitatem suarum definitionum recurrit ad Verbum Dei, ut docet Tridentinum sess. 4. *Omnes itaque intelligant, quo ordine, & via ipsa Synodus post jactum, fidei confessionis fundamentum sit progressura, ex quibus potissimum testimoniis, ac presidis in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus sit usura; ita post fact. Canon. libr. indicem, & postea in decret. de edition. eorundem sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sanctarum Scripturarum.* his politicis sit

SECTIO II.

Resolvitur Controversia.

447. PRIMA sententia docet, fidem nostram pro objecto formali habere infallibilem Ecclesiæ auctoritatem. Ita Medina l. 5. de rect. in Deum, Ajala de Traditione parte 3. c. 1. Durand. in 3. dist. 24. quæst. 1. & dist. 25. quæst. 3. Gabriel & Almainus in 3. dist. 23. Tannerus 2. 2. quæst. 1. art. 1. dub. 4. Discrimen quoque aliqui cum Medina docent inter fidem nostram & Apostolorum, eorumque qui eam immediate à Deo didicerunt, & ab Apostolis audientes miraculis à Christo prius viderant confirmari. De his dicunt, eos nisi objectò testimoniò Dei; nostra verò nisi Ecclesiæ infallibilitate, ut à Spiritu Sancto directà, & ita

in sua linea Auctoritatem Divinam habente. Secunda seu reliquorum omnium Theologorum cum S. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 1. & p. 1. art. 8. ad 2. & Exim. Doctor disp. 3. de fide sect. 10. n. 9. docet, solum primam veritatem revelantem esse objectum formale fidei; Auctoritatem verò infallibilem Ecclesiæ, ejusque definitiones non esse objectum formale fidei, sed approximationem, aut frequentissimam conditionem, sine qua non

448. Affero cum secunda. Infallibilitas Ecclesiæ non est objectum formale divinæ fidei. Prob. 1. Scriptura non aliò reducit nostram fidem, quam ad Verbum Dei, ut ex num. 249. secundum 1. Joann. 5. *Si testimonium hominis accipitis, testimonium Dei majus est:* quod & constat ex fidei natura; nam credere alteri, est assentiri, quia testificatur; unde credere homini, est assentiri, quia homo testificatur; & Deo, quia Deus testificatur; proinde testimonium humanum, humana auctoritate, & veritate affectum est motivum fidei humanæ; & divinum divinæ; atqui testimonium Ecclesiæ est infallibile, & Spiritus Sancti assentientia infallibilizatur, non est Verbum Dei, sed infallibilis regula supponens Verbum Dei, illudque approximans, ut dixi num. 446. ergo infallibilitas Ecclesiæ non est partiale motivum divinæ fidei.

449. Prob. 2. & explicatur ratio præcedens. Infallibilitas, quam habet Ecclesia loquens ex divina promissione, & speciali Spiritus Sancti assentientia, non est, ut ejus verba, & testimonia sint verba, & testimonia divina, sed humana, proindeque non est regula divina, prout profert Verbum divinum, sed prout profert verbum humanum cum speciali protectione assentientia divinæ, ne per illud proponat aliquid dissonu prolato Verbo Divino; atqui testimonium humanum non potest esse motivum partiale divinæ fidei; ergo infallibilitas Ecclesiæ non potest esse objectum formale motivum divinæ fidei. Prob. 3a. licet Ecclesia accepta à Deo auctoritatem ad condendas leges, promissamque habet à Deo infallibiliter assentientiam, ne proponat doctrinam contra sanctitatem, & bonos mores; tales tamen leges, ut fatentur omnes Theologi, non sunt divinæ, sed humanæ: quia verba legislatoris sunt humana; ergo infallibilitas, quam habet Ecclesia loquens, non est, ut ejus testimonia sint divina, sed humana.

450. Respondebis 1. Ecclesiam esse instrumentum loquentis Dei, uti fuere Prophete, ac proinde pertinebit ejus infallibilitas ad objectum formale divinæ fidei, uti revelatio externa. Contra 1. quia non est instrumentum, per quod loquitur Deus, sed cui ex promissione sua assistit, ut verbo humano à divina assentientia regularo infallibiliter proponat Verbum, quod Deus locutus est, & verum ejus sensum, ut ex Tridentino cit. n. 446. Contra 2. licet Ecclesia per signa credibilitatis demonstra-

frata sit motivum volendi credere quoad nos Verbum Dei ab ipsa propositum, non est tamen motivum credendi, si quidem in sacra Scriptura nunquam nostra fides in Autoritatem Ecclesiae revocatur, sed in Verbum Dei num. 249. ut accuratè notavit Exim. Doctor disp. 3. sect. 3. n. 10. Unde non video, quo jure citetur pro parte opposita; ait enim ibi, licet credamus Ecclesiae definiendi, si interrogemur, cur credamus; Respondemus, quia habet infallibilem assistentiam Spiritus sancti; etsi iterum aliud interrogemus, cur hoc credamus: Respondemus, quia Deus revelavit, cui credamus propter Autoritatem suam, non propter Ecclesiae Autoritatem, licet illa nobis proponat ipsam revelationem Dei; ergo Ecclesia non est organum, seu instrumentum per quod Deus loquitur.

451. Respondebis 2. Ecclesiam, prout à Spiritu sancto regitur, propositam esse quoad nos tanquam proximam regulam sufficientem credendi; cum non possint omnes fideles doctrinam fidei per se expendere, aut semper resolutionem facere in auctoritatem, quae nimis excellens & spiritualis est: Ecclesia autem est sensibilis regula, quam facile audiunt & percipiunt. Quare dicenda est sufficiens quoad nos motivum divinae fidei. Contra 1. Licet Ecclesia, & regula sensibilis facilius audiatur, non tamen auditur tanquam Dei Verbum, sed tanquam infallibilis approximatio Verbi Dei, quod jam prolatum supponit ea approximatio, proindeque fideles non accipiunt verba Ecclesiae, ut Verba Dei, sed ut supponens Verba Dei; proindeque, ut ait Exim. Doctor supra cit. implicite saltem suam fidem in Deum resolvunt, id est, licet non tam expressè eam locutionem percipiant, quam audiunt sensibilem regulam loquentem. At ita attingit Dei locutionem, ut propter illam credant, eamque intrinsicè credant, si eliciant formalem fidei actum, ut idem postea num. 9. & 10. explicat, & ex hac disputatione constat; ergo infallibilitas Ecclesiae nunquam acceptatur à fidelibus, ut motivum formale divinae fidei. Contra 3. Ecclesia non condit novas revelationes, sed ejus infallibilitas eò tendit, ut Christi oves pascat doctrinà à Deo revelatà; ergo verba Ecclesiae non sunt Verba Dei, & nec motivum formale divinae fidei.

452. Probatur 3. Fides nostra est ejusdem speciei, ac ea, quam habuerunt Apostoli & Prophetæ, ut docent omnes cum Magistro L. 3. dist. 23. proinde non habet diversum objectum formale ab eo, cui nitebatur fides Apostolorum; atqui illa nitebatur primæ veritate loquenti, non verò Ecclesiae infallibilitati, ante cujus definitionem jam illi de revelatione certi erant; ergo & fides nostra, & fides divina, est una. Ad Ephes. 4. Atqui si fides nostra haberet aliud objectum formale, quam fides Apostolorum, non esset una habitu, quia idem habitus non se extendit ad objecta formalia diversa, neque

esset una actu, quia actus juxta objecta formalia distinguuntur; ergo & fides nostra non habet objectum formale partiale motivum distinctum, ab eo, quod habeat fides Apostolorum.

Ex dictis Fit 1. Actum formalem divinae fidei requirere essentialiter divinam revelationem, cui innitatur intrinsicè, ac proinde non sufficere revelationem virtuales, & mediatam, quatenus non applicetur objecto, quod formaliter sub illa continetur, sed quod virtualiter tantum subest illi revelationi. Sic formalis revelatio substantiae dicitur virtualis revelatio proprietatù, sine quibus substantia esse non potest. Cæterum, licet illa revelatio formalis sit satis, ut divina fide credamus substantiam dari; at quia talis sufficiens non est, ut credamus, actu formali divinae fidei, dari proprietates illius substantiae, quod perinde est, ac dicere, non sufficere ad actum formalem divinae fidei revelationem virtuales; ratio est, quia actus formalis divinae fidei assentitur objecto revelato, non per discursum, sed per simplicè adhesionem ad Verbum Dei, immediatè respiciendo Deum testificantem, per quod distinguitur ab actu fidei objectivo, & Theologico, qui mediatè Deum respiciunt; atqui assentiri virtuti, quia Deus revelavit substantiam, non est assentiri proprietatibus per simplicem adhesionem ad Verbum Dei immediatè, sed per discursum, & mediatè; ergo non est sufficiens revelatio virtualis. Quare, donec nobis constet vetum sensum illius revelationis, & Verbi Dei se quoque extendere formaliter ad illas proprietates, uti constaret, si Ecclesia definiret, non possemus circa illas elicere actum formalem divinae fidei.

Fit 2. Proposita revelatione formali de eo, quòd Christus sit homo, seclusa altera revelatione, vel definitione Ecclesiae de eo, quòd sub ea revelatione formaliter contineatur operatio humana naturali connexion, sicut operatio risibilitatis in humanitate, ille qui eo casu affirmaret risibilitatem radicatam in revelata humanitate, non eliceret actum fidei; ratio est, quia assensus ille non esset per simplicem & immotam adhesionem ad revelationem, sed roboratus præmissa naturali de connexion proprietatis & operationis cum essentia; quare, licet possimus uti discursu ad approximandum objectum revelatum, non tamen ad elicendum actum formalem divinae fidei, v. g. quando revelatur, Christum esse hominem, tunc, licet per discursum probemus etiam habere animam rationalem, elicimus actum fidei non innitendo discursui, sed revelationi, sub qua formaliter contineatur anima rationalis; at quando proprietas continetur solum tanquam in radice in substantia revelata, cum discursus non solum deserviat ad approximandum, sed etiam inferendum ex objecto revelato aliquid non revelatum, discursus ille non potest deservire, ut res illa credatur divinà fide propter illam revelationem: videatur Card. de Lugo disp.

disp. 1. de fide sect. 13. toto numero 57. ubi de his late agit, mentemque Exim. Doctoris accurate exponit præsertim num. 259.

SECTIO III.

Solvuntur Opposita.

455. **O**bjic. 1. Fideles communiter assentiuntur propter Ecclesiæ testimonia, uti & August. cit. num. ergo infallibilis Ecclesiæ autoritas est objectum formale fidei. Confirm. Catechistæ rudibus & pueris Ecclesiæ Autoritatem solent proponere pro motivo, imo & docti sæpè statim dum legunt definitiones Conciliorum, statim credunt divina fide, sed dici non potest, quòd utriusque male agant; ergo &c.
456. Respondeo nego ant. sed fideles & August. respiciunt Autoritatem Ecclesiæ ut infallibilem applicationem motivi, ita ut frequenter nullam aliam habent infallibilem applicationem; ac proinde hac sublatâ non possent tunc assentiri divina fide, quandoquidem assentiri non fir nisi approximato objecto; quare Ecclesia Dei infallibilis applicatio est in inferiori linea, quàm motivum, quod est Verbum Dei. Ad Confirm. nego maj. quia Catechistæ loquuntur ut missi, ac proinde docent doctrinam ab ipsis propositam, non aliam esse, nisi ab Authore Deo, quod maximè notare debuerunt sic arguentes, ut ex numero 387.
457. Quare Catechistæ bene instruentes pro motivo infallibile Verbum Dei proponunt, unde & docti, & indocti, quando eliciunt actum formalem fidei distinctum ab actu fidei objectivæ, ut ex num. 157. non habent aliud motivum, quàm Verbum Dei, neque ullus est fidelium, qui interrogatus, quare credat doctrinam propositam, non respondeat, quia est tradita à Deo, & data Ecclesiæ, & non sciunt scholasticis verbis Ecclesiæ Autoritatem dicere approximationem; bene nihilominus concipiunt, cum sciant, verbum Ecclesiæ esse humanum, licet assistentia Spiritûs Sancti prolatum; sicut sciunt Ecclesiasticas leges esse humanas, licet cum eodem Spiritu Sancto conditas; neque ignorant, Verbum Dei esse divinum, unde, licet non sciunt se explicare, satis tamen concipiunt, ut ad fidem oportet.
458. **O**bjic. 2. Fidelis distinguitur ab Hæretico solum, quia Hæreticus primæ veritati tantum, & non propter Ecclesiam credit; ergo infallibilitas Ecclesiæ est objectum formale fidei. Respondeo nego ant. licet fidelis Ecclesiæ credat, non credit propter Ecclesiam, at verò Hæreticus nec Ecclesiæ credit, nec propter primam veritatem, sed propter rationes humanas, juxta quas judicat primam veritatem loqui. At verò fidelis credit Ecclesiæ, id est, eam esse regulam infallibilem ministrantem fidelibus Verbum Dei, & fidei motivum ad credendum; quare diversa sunt credere Ecclesiam, Ecclesiæ, & in Ecclesiam; nam credere Ecclesi-

am, est eam respicere ut objectum materiale creditum propter Dei Autoritatem dicentem, Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis. Credere Ecclesiæ, est habere eam pro objecto cui, dum credimus, & dicenti hoc, quod proponit esse Verbum Dei, & non credimus propter ipsam, sed Autoritatem Dei, quâ docemur Ecclesiam esse infallibilem Verbi Dei approximationem, ideòque non credimus in Ecclesiam, in rigorosè sumendo, seu in objectum formale, ac proinde credimus Ecclesiam propter Spiritum Sanctum, sive propter infallibile Verbum Dei, quæ est etiam ratio, cur in Symbolo non dicamus: Credo in Ecclesiam, sed in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam; quare hæc tria distinguuntur à Theologis etiam in Deo, ut credere Deum est habere pro objecto materiali fidei Deum; Deo est, habere pro objecto cui, in Deum est habere Dei Authorem pro objecto formali credendi.

Objic. 3. Ecclesiæ Autoritas infallibilis movere potest ad actum infallibilem; atque resolutivum fidei nostræ in talem Autoritatem communiter à fidelibus fit: nam querenti, cur credis: responderetur, quia Ecclesia, quæ regitur à Spiritu Sancto, id proponit, & credit; ergo &c. Respondeo dist. ant. quoad primam partem, ad actum infallibilem divinæ fidei; nego, infra fidei infallibilitatem, conc. hanc partem, & dist. etiam alteram partem. Resolutivum fidei quoad assensum credendi; nego, quoad voluntatem credendi conc. ant. & nego consequ. Itaque Adversarij diveria plura confundunt, id est, infallibilitatem lineæ superioris: nam infallibilitas divinæ fidei, quia innititur primæ veritati, est in Linea superiori; infallibilitas verò Ecclesiæ, quia non immediatè innititur primæ veritati, sed ab illa descendit, ut infallibiliter applicet Verbum divinum nitens primæ veritati, est in linea inferiori.

Quod facile explicatur exemplo num. 382. de gratia. Nam filius Regis ut Regi proximior est in linea nobilitatis superiori ad Regis nepotem, qui proximior est filio Regis, quàm Avo Regis; sic se habent actus credentes propter Verbum Dei, & propter Autoritatem Ecclesiæ: nam credere propter Verbum Dei immediatè nititur primæ veritati; credere propter Autoritatem Ecclesiæ non nititur, immediatè primæ veritati, sed Autoritati consequenti primam veritatem, quæ sunt objecta speciei distincta, atque discernentia diversos speciei actus. Quare cum altior sit illa infallibilitas, quæ innititur immediatè primæ veritati, exinde altior est infallibilitas fidei, sive assensus propter Verbum Dei, quàm infallibilitas assensus propter Ecclesiæ Autoritatem; iste namque pertinet vel ad conclusionem Theologicam, vel ad alteram speciem virtutis innominatæ, non verò ad fidem divinam, ut docet Exim. Doctor disp. 3. sect. 10. n. 8. Confundunt insuper motivum credendi cum motivo volendi credere, quod est Autoritas Ecclesiæ;